



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 6. Regina Mater cum Guisio Duce de pace agens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.
A.C. 1585.

exorans, ut arma deponant, & a sua clementia, & prudentia expectent, quod per bellum minime consequi possent: porro hac agendi ratione Fœderati animo erigebantur, ac Guisius Dux inde audacior factus plures Urbes occupabat.

§. VI.

Regina Mater cum Guiso Duce de pace agens.

Thuan. l. c. Cum Dux, quamvis crebris victoriis clarus esset, per suos tamen emissarios divulgari satageret, quod ad ineunda pacis consilia paratum haberet animum, hinc Rex Reginam Matrem suam rogabat, quatenus Guisium Ducem visum iret: ergo illa ad Espernæum Cœnobium ad Matronam situm se confert, comitantibus eam Procerum quam plurimis, ubi etiam colloquiis in longius protractis fœderati ineundis concordiae pactis moram trahere nitebantur, ut cunctas vires suas congregandi spatium nanciscerentur. Præprimis ibi Rex ab armis cessari petebat, ex adverso autem Guisii Ducis amici prius vitam, quam arma deposituros se ostendebant, donec bellum sine induciis cum Protestantibus ineundum, in Regni Curiiis promulgatum, atque a Rege, Principibus

cipibus, ac Proceribus solemnī jure-
jurando approbatum esset.

Sæcul. XVI.

A. C. 1585.

Adhæc Rex, quid consilii cape-
ret, dubius hærens Francisci Noallii
Aquensis Episcopi, qui suis Legationi-
bus celebrem sese reddebat, consilium
inquirebat, qui eidem hæc exponebat:
„Rex potentissime, scias, non pieta-
„tem, aut Reipublicæ curam, nec con-
„servandæ Religionis, ac publicæ tran-
„quillitatis studium, vel quicquid spe-
„ciosose obtenditur, novis his motibus
„causam dedisse, imo unum id agi
„constat, ut ambitiosi homines, quo-
„rum immodica desideria nunquam sa-
„tiari possunt, auctoritatem, quam in
„pace habere non possunt, per turbas,
„& dissensiones in Regno excitatas ar-
„ripiant, & regii fastigii arcem, quod
„Deus avertat, gradu per hæc facto
„olim invadant, ut bellum hoc non sa-
„crum, quale Majores tui, alique eo-
„rum exemplo Christiani principes ma-
„gna cum pietatis, & virtutis laude in
„Oriente gesserunt, sed merum civile
„censendum sit: quocirca, ut bellum
„civile Regno impendens evitetur, ea,
„quæ Belgicorum Ordinum Deputati
„offerebant, omnino acceptanda cen-
„seo. „ Verum Rex hoc consilium se-
qui renuebat,